Quelle: https://manuscripta.at/?ID=37127
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



ductus est. et sicut agnus coram tondente se sine voce sic non
aperuit os suum. In humilitate iudicium eius sublatum
est. Generationem eius quis enarrabit. Quoniam tollitur de terra
vita eius. Respondens autem eunuchus philippo dixit. Obsecro te
de quo propheta dicit hoc. De se an de alio aliquo. Apprehendens autem
philippus os suum. et incipiens a scriptura ista evangelizavit
illi iesum. Et cum irent per viam. venerunt ad quandam aquam. Et
ait eunuchus. Ecce aqua quid prohibet me baptizari. Dixit
autem philippus. Si credis ex toto corde licet. Et respondens ait. Credo
filium dei esse iesum christum. Et iussit stare currum. Et descenderunt
uterque in aquam philippus et eunuchus. et baptizavit eum. Cum
autem ascendisset de aqua. spiritus domini rapuit philippum. et apprehendit
non vidit eum eunuchus. Ibat autem per viam suam gaudens. Philippus
autem inventus est in azoto. et perlustrans evangelizabat
civitatibus donec veniret caesaraeam. nomen domini nostri
iesu christi. Gr. Hoc dicit. V. Lapide quem reprobaverunt aedificantes. hic factus est in caput anguli. a domino factum est. et est mirabile in oculis nostris. Alla. V. Quis ascendit de deserto. deliciis affluens. innixa super dilectum suum. Seq. Vetera. In illo tempore. Maria stabat ad monumentum foris plorans. Cum igitur fleret inclinavit se. et prospexit in monumentum. Et vidit duos angelos in albis sedentes. unum ad caput. et unum ad pedes. ubi positum fuerat corpus iesu. Dicunt ei illi. Mulier quid ploras. Dicit eis. Quia tulerunt dominum meum. et nescio ubi posuerunt eum. Haec cum dixisset. conversa est retrorsum. et vidit iesum stantem. et non sciebat quia iesus est. Dicit ei iesus. Mulier quid plorasque quaeris. Illa existimans quia ortolanus esset. Dicit ei. Domine si tu sustulisti eum. dicito mihi ubi posuisti eum. et ego eum tollam. Dicit ei iesus. Maria. Conversa illa dicit ei. Rabboni quod dicitur magister. Dicit ei iesus. Noli me tangere. Nondum enim ascendi ad patrem meum. Vade autem ad fratres meos. et dic eis. Ascendo ad patrem meum. et patrem vestrum. deum meum